



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

47. De mißis ad prædicandum Apostolis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

III. Oleo caput meum non unxisti: hæc autem unguento unxit pedes meos. *Luc. 7. v. 46.*

MEDITATIO XLVI.

*Christus peccata dimittit
Magdalene.*

I. **P**ropter quod dico tibi, (*ô Simon:*) Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. *Luc. 7. v. 47. & 48.*

II. Et cœperunt, qui simul accumbabant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? *Luc. 7. v. 49.*

III. Dixit autem ad mulierem: Fides tuate salutem fecit: vade in pace. *Luc. 7. v. 50.*

MEDITATIO XLVII.

*De missis ad predicandum
Apostolis.*

I. **I**esus convocatis duodecim discipulis suis, (*Apostolis, Luc.*) dedit illis potestatem spirituum immundorum, (*super omnia*

omnia dæmonia, *Luc.*) ut eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. *Matth. 10. v. 1. Luc. 9. v. 1.*

I I. Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus: Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater ejus: Philippus & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, Iacobus Alphæi, & Thaddæus, Simon Chananæus, & Iudas Iscariotes, qui & tradidit eum. *Matth. 10. v. 2. 3. 4.*

I II. Hos duodecim misit IESUS. *Matth. 10. v. 5.* Et cœpit eos mittere binos, *Marc. 6. v. 7.* prædicare regnum Dei, & sanare infirmos. *Luc. 9. v. 2.* præcipiens eis, dicens; In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis: sed potiùs ite ad oves, quæ perierunt, domûs Israël. *Matth. 10. v. 5. 6.*

I V. Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cœlorum. Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, dæmones eijcite: gratis accepistis, gratis date. *Matth. 10. v. 7. 8.* Egredi autem circuibant per castella, evangelizantes & curantes ubiq; *Luc. 9. v. 6.* Prædicabant, ut pœnitentiam agerent: & dæmonia multa eijciebant, & ungebant oleo multos ægros,

ægros, & sanabant. *Marc. 6. v. 12. & 13.* Et reversi Apostoli, narraverunt illi, quæcunq; fecerunt: & assumptis illis secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ. *Luc. 9. v. 10.*

MEDITATIO XLVIII.

*De quinque millium hominum
refectione.*

I. **R**everſi Apoſtoli, *Luc. 9. v. 10.* & convenientes ad IESUM, renunciaverunt ei omnia, quæ egerant & docuerant. Et ait illis: Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim, qui veniebant, & redibant, multi: & nec spatium manducandi habebant. *Marc. 6. v. 30. & 31.*

II. Et ascendentes in navim, abierunt, *Marc. 6. v. 32.* trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis, *Ioan. 6. v. 1.* in desertum locum seorsum, *Marc. 6. v. 32.* qui est Bethsaidæ. *Luc. 9. v. 10.* Et viderunt eos abeuntes. & cognoverunt multi: & pedestres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, & prævenerunt eos. *Marc. 6. v. 33.* Quia videbant signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur. *Ioan. 6. v. 2.*

III. Subijt ergo in montem IESUS, &